

titulum, omni studio in id incubuit, ut omnes boni & industrii doctoris virtutes, *Fidelitatem & Dexteritatem*, cum patronis suis, tum Academiae probaret. Quapropter antea domi caeptam Locorum Theologicorum interpretationem, publice continuavit, docens non assidue tantum, sed & fideliter, ad discipulorum utilitatem sese accommodando, & ad Ecclesiae aedificationem omnia referendo.

Magnam vero ejus in docendo Dexteritatem fuisse, nemo negabit sat scio, nisi qui ingenium, eruditionem, eloquentiam ejus ignoraverit. Possem id meo qualicumque testimonio probare: qui locorum non paucorum explicationem ex ore dictantis olim excepi: sed vos appello adolescentes studiosissimi. Quis vobis carior habitus fuit LOBECHIO? quem tam diligenter audivistis? ad cujus cathedram tanto numero confluxistis? in quo si forte etiam non plane nihil potuisse existimanda est materiae quam tractabat, ratio: tamen partem hujus rei non minimam ipsius facultas & eloquentia sibi merito vendicavit. Erant enim in eo (ut Tullij verbis utar) animi & ingenij celeres motus: ad excogitandum acuti, ad explicandum ornandumque uberes, & ad memoriam firmi & diuturni.

Verissima haec sunt omnia, auditores: testis quisque nostrum esse potest: imo testis est tota haec Megapolitana provincia; quae ipsum nuper in exequijs beatissimi Principis **ILLRICI** memoriter & suavissimè perorantem, cum stupore audivit maximo. Testantur idem Hypomnymata praelectionum publicarum, quae in multorum versantur manibus, luce & oculis omnium dignissima: quaeque ipse absolutis locis omnibus (quorum explicationem jam ad doctrinam de Conjugio, cui propediem finis erat imponendus, deduxerat) haud invitus, rogantibus & hortantibus amicis, Ecclesiae communicare constituerat, nisi praecelaram ejus de studijs bene merendi voluntatem, multo,